Dionyſij Lambini

MONSTROLIENSIS GRAE-
carum litterarū doctoris Regij oratio poſtridie
Idus Dec. pridie quàm Philippicarū Demoſthe-
nis explicationē orſus eſt, anno CIↃ IↃ LXII.
in aula gymnaſij Samarobrinēſis habita: in qua
primùm publicam calamitatē deplorat: deinde
priuatum ſuum incommodum, caſúmque ad-
uerſum cōmemorat: poſtremò pauca de re, &
de Olynthiacis orationibus, à quibus initium
fecit, præfatur.



PARISIIS,
Apud Martinum Iuuenem, ſub inſigni D. Chriſtophori,
è regione gymnaſij Cameracenſium.
M. D. LXIII.

DIONYS. LAMBINI MONSTROLIENSIS GRAECARVM LITTERArum doctoris Regij Oratio poſtridie Idus Decemb. anno CIƆ IƆ LXII. in aula gymnaſij Samarobrinenſis habita.

SI qua poſt hominum memoriam, atque adeò poſt homines natos tempora cùm vniuerſæ Reip. calamitoſa ac funeſta, tùm bonis litteris, honeſtiſq; artibus ac diſciplinis infeſta, atque inimica fuerunt, auditores, hæc ipſa profectò, in quæ noſtra ætas incidit, planè eſſe huiuſmodi, facilè iudicabit, qui illam veſtrûm, quæ ſuperioribus annis fuit, frequentiam cum hac infrequẽtia, ac pæne dicam, ſolitudine, priſtinam omnium gymnaſiorum celebritatem cum hac totius Academiæ Pariſienſis vaſtitate comparabit. Nam vt ne veterem præteritorũ annorum memoriam repetamus, quibus annis vel Franciſco I. vel Henrico II. regnum obtinente, in hac quidem Academia ad viginti adoleſcentium bonas arteis diſcentium millía numerabantur: In hac autem aula modò trecenti, modò quadringenti, interdum quingenti & ſexcenti auditores aßidui comparebant: anno ſuperiore, qui tamen annus & propter diſcordiarũ de religione in dies creſcentium initia, & propter peſtilen-

ſtilentiæ metum formidoloſus ac turbulentus fuit, ego & collegæ mei ſinguli hîc noſtris horis centenos, atq; adeò ducenos auditores quotidie videbamus. At nunc rebus vel certorum hominum amentia, vel fato neſcio quo, vel dei immortalis nobis irati iudicio ac voluntate grauiſsimè exulceratis, atque exaſperatis, bello impio conflato, peſtilẽtia ſæuiſsima coorta, vix in tota quidem Pariſiẽſi Academia quingentos adoleſcẽteis bonarum litterarum, bonarúmque artium ſtudioſos reperire poſsimus: in hoc autem nobiliſsimum, & ad docendum ampliſsimum gymnaſium vix audeo ſperare quinquaginta aſsiduos auditores quotidie ad me, aut ad quemuis alium è collegis meis audiendum conuenturos. Itaque cum ego & aliquot doctiſsimi viri: in his tres ex collegis meis nuper de hoc atrociſsimo, calamitoſiſsimo, peſtilentiſsimo, funeſtiſsimo Reipub. tempore colloqueremur, atque inter nos conſultaremus, & quæreremus primùm vtrùm noſtrum docendi munus, dies aliquot partim animorum relaxandorum cauſa, partim propter peſtilentiam intermiſſum, in tanta auditorum pœnuria, tãta litterarum calamitate, tanta denique totius Reipub. perturbatione repetere, an meliora & tranquilliora tempora expectare deberemus: denique, ſi ad noſtrum pẽſum reuerti decerneremus, quãdo id faceremus: quidam, quos neceſſe non habeo nominare, cenſuerunt, eouſque nobis eſſe à docendi laboribus abſtinendum, donec omnis Gallia ab hoc inteſtino bello, ac domeſtico latrocinio aut conquieſceret, aut reſpiraret: quandiu militarium tympanorum ſonitu, glandium plumbearum iactu, tormentorum bellicorum fragore, & crepitu Lutetia perſonaret: quandiu vrbes Galliæ à

Gallis

Gallis occupatæ tenerentur, à Gallis oppugnarentur, ac diriperentur: quandiu denique arma ciuilia valerent, tantiſper nobis & priuatim & publicè lugendum eſſe potiùs, quàm legendum: alij cùm ſuſpicarentur hæc Reipub. mala diuturna futura, exiſtimabant aliquando conſtituendum nobis eſſe ceſſandi, & feriandi modum, & poſtridie Kal. Nouembreis more maiorum priſtinā noſtram docendi conſuetudinem eſſe reuocandam: alij, quorū ſententia valuit, paucis ante Kal. Decēb. diebus, niſi nouū aliquod malum interueniret, ſuo quenque docendi munere fungi ſibi videri dixerunt oportere. Ita factum eſt, vt ego hodierno die in hoc antiquum docendi curriculum redierim: quod item feciſſet Adrianus Turnebus philoſophiæ docēdæ præpoſitus, niſi morbo impeditus eſſet: quo ſtatim vt leuatus fuerit, neque veſtris ſtudiis, neque ſuo officio deerit. Amelius Paſchaſius, qui mathematicas arteis profitetur: Io. Quinquarboreus Hebraïcis litteris, quibus docendi præeſt, pereruditus: Io. Auratus Græcarū litterarū, Leodegarius à Quercu Latinarum doctor, paucis poſt diebus nos conſequētur. De ceteris collegis noſtris, qui Lutetia abſunt, quominus dicam, tēpora ſunt impedimento. Videtis igitur, auditores, nos nihil his formidoloſiſſimis, & perditiſſimis Reipubl. temporibus à noſtro vetere inſtituto deterritos, (niſi quòd dies aliquot partim rebus prolatis vetere vſi licentia, partim metu peſtilētiæ impediti ceſſauimus) hodie vobis inſeruire, litterarúmque ſtatū vnà cum ceteris Reip. membris nutantem ac labantem fulcire cupienteis ad noſtrū munus obeundum reuertiſſe. Ne priuata quidem incōmoda nobis obſtitiſſe, ne ad noſtrū inſtitutum primo quoq; tēpore redi-

 remus,

remus, poſterius cognoſcetis. Nam ſi nõ dicã probabiles & ſpecioſæ, ſed ſi veriſsimæ & iuſtiſsimæ ceſſationis cauſæ quęrendæ fuerunt, nobíſne fuit in eis longè petendis valde laborandum? Nónne hæc auditorum paucitas atque infrequẽtia, nónne enſium fulgor in oculos noſtros quotidie incurrens, nónne plumbeorum globorum ſonitus, nónne bellicorum tormentorũ fragor aureis noſtras aſsiduè verberans atque obtundens: nónne triſtes atque horribiles quotidiani de armatorum ciuium aduẽtu nuncij: nónne totius Galliæ quæ olim nitebat, quæ renidebat, quæ collucebat, ſquallor ac deformitas, gemitus & lacrymæ, miſerabilis ac triſtis aſpectus: nónne hæc omnia, & multa alia dictu audituq; aſpera, ſatis iuſtã nobis cauſam ſuppeditabant, quãobrem, ſi non in perpetuum, at certè quoad hi motus componerentur, taceremus? Nam, prò dij immortales, quæ poteſt nobis eſſe vel in meditando domi tranquillitas, vel in docẽdo foris alacritas, cùm horum temporum perditorum nobis venit in mẽtem? Percurramus animo omneis Galliæ parteis, omneis oras atque latebras. locus in ea iam nullus eſt neque tam longinquus, neque tam propinquus: nullus neque tam nobilis, neque tã obſcurus: nullus neque tam tritus, neque tam auius: nullus neque tam cultus ac celebris, neque tam incultus ac deſertus, quò non per hæc luctuoſiſsima tempora huius crudeliſsimi ac teterrimi belli calamitas permanarit. Lugent omnes Galliæ ciuitates, gemunt omnes Præfecturæ, vrbes ſanguine ciuium redundant, ſacrorum profanorúmque diſcrimen ſublatum eſt: domus pulcherrimæ, quæ vrbibus erant ornamento, complanatæ ſunt: fluminibus ſanguine Gallorum tinctis ſuus color immutatus eſt:

agri

agri cultiſſimi partim externorũ militum, partim ciuium manibus vaſtati ſunt: villæ inſtructiſſimæ ac refertiſſimæ illatis ignibus conflagrarunt: patreſfamilias locupletes & rem ſuam bene gerentes, lareis ſuos familiareis indicta cauſa relinquere coacti ſunt: matronis caſtiſſimis ac probatiſſimis domi ſuæ, necatis viris, per vim ſtuprum illatum eſt. quæ facinora, quæ flagitia, quæ ſcelera à Gallis in Gallos non ſunt admiſſa? Circumſpiciamus omnia Reipub. membra. Iacet agricultura, eiecti enim ſunt ex agris aratores, eiſque non ſolum iumenta ea quibus agri cultura ſuſtinetur, verumtiam ipſa aratra ablata atque erepta ſunt. Friget mercatura, omnes enim viæ ferro obſeſſæ, armiſque interclusæ, omnia maria prædonibus infeſta ſunt. cædes indigniſſimæ plurimæque impunè factæ ſunt: eſuriunt opifices ac tabernarij propter inauditam rei frumentariæ, & cæterarum rerum caritatem. baiuli & egentes homines locupletium fortunis imminent. magiſtratus & qui res iudicant pro nihilo putantur. Pontificum, & eorum qui ſacris præſunt, dignitas obſoleuit: litteræ ſuo priſtino nitore amiſſo ſquallidæ ac ſordidæ mærent: nobiles partim ſumtibus belli exhauſti ſunt, partim vulneribus confecti occubuerunt: vectigalia Regis magna ex parte diſſipata, & profligata ſunt: hæc & ſexcenta alia mala, quæ ſi enumerare velim, vox & latera me deficiant, nobis hæc diſcordia fatalis inuexit. Ita nos Galli, qui olim nationibus exteris vel iniuria laceſſiti iuſtum bellum inferebamus, vel iniuſto bello laceſſitis opitulabamur, nunc nobis ipſis bellum inexpiabile incutimus: in nos ipſos enſium noſtrorum mucrones conuertimus: noſmetipſos noſtris gladiis iugulamus:

in

in noſtra membra ferrum deſtringimus: noſtra pectora, noſtra viſcera ferro perfodimus: neque intelligimus Gallia viris orbata, propugnaculis nudata, pecuniis neruis belli ſpoliata fore vt exteris gentibus noſtra mala ſuam occaſionem arbitrantibus pateamus, iugulúmque præbere cogamur. Atqui ſic illa quondam floretiſsima Græcia primum ſub populi Romani ditionem ſubiuncta: deinde longo pòſt tempore à Turcis non modò in ſeruitutem redacta, ſed etiam populata & vaſtata eſt. Sic imperium populi Rom. quod orbis terrarum finibus terminabatur, labefactatum, ac funditus euerſum eſt: ſic cetera regna, imperiáque latiſſima, atque opulentiſsima conquaſſata corruerunt, diſſenſionibus (inquam) ciuilibus, & diſcordiis inteſtinis. Plenæ ſunt hiſtoriæ talium exemplorum: *quæ vtinam ad quoſuis alios potius, quàm ad nos pertinerent. Non enim eo animo hæc commemoramus, vt nobis male ominemur, ſed partim vt noſtrum ex calamitate publica ſuſceptum dolorem vobiſcum communicando leuemus. partim vt nos Galli Gallos cohortemur, vt aliorum exemplo docti noſtrarũ diſcordiarum ac ſeditionum finem faciamus, & ſerò quidem, vt Phryges, ſed aliquando tamẽ ſapiamus. Nam ni ita facimus, aliúmne huius belli finem, quàm & ſingulorum, & vniuerſæ Reipub. interitum fore putamus? niſi quis forte dicet in eo Reipub. adminiſtrãdæ genere, quod vnius dominatu, imperióque cõtinetur, quam* μοναρχίαν *Græci appellãt, de Reipub. vtilitate parum eſſe laborãdum, ſed id dũtaxat ſpectãdum, vt regni ſtatus incolumis ſeruetur, atque vt potẽtia regia ſtabilis permaneat. Quid? ſperamúſne Galliæ vrbibus dirutis atque euerſis, agris vaſtatis, vil*

lis

lis incenſis, fortiſſimo, & optimo quoque viro vel in oppugnationibus atque expugnationibus vrbium, vel in acie interfecto: etiam iis, qui quieuerint, neque vel in his, vel in illis caſtris fuerint, neque contra patriam arma tulerint, ab armato victore trucidatis, non dico Remp. ſtaturam, ſed diadema, ſceptrúmque Regium diutius ſaluum futurum? Quibus in rebus opes Regiæ poſitæ ſunt, niſi in vrbium multitudine ac celebritate, in ciuium ſecunda ac florente fortuna, in agris priuatorum bene cultis, in vniuſcuiuſque re familiari bene conſtituta? Potéſtne Rex ille opulentus, potens, fortunatus, ac beatus eſſe, potéſtne veſtitum, atque ornatum Regium incolumem diu retinere, cuius populus ſit egens, nudus, atque exhauſtus? cuius ciues alij vitam inopem & vagam perſequantur, alij indicta cauſa necentur ac trucidentur? Cuius vrbes viris orbatæ ſint ac deſertæ? cuius regnum ſit direptum, ſpoliatum, laceratum? Atqui, ô Galli, hæc gentis Gallicæ maximè propria laus eſſe dicitur, vos Regum veſtrorum eſſe amantiſſimos ac ſtudioſiſſimos: vos ad parēdum Regibus veſtris eſſe animo ac voluntate promtiſſimos, ac paratiſſimos, vſque adeò vt, ſi res ita ferat, ne vitam quidem pro eis vnà cum ſanguine profundere recuſare ſoleatis. Quàm nunc vobis hæc præclara laus non conuenit? quàm longè ab illa maiorum veſtrorum gloria receſſiſtis? quantum à patribus veſtris degenerauiſtis? qui nunc Regis veſtri munitiſſimas atque opulentiſſimas vrbeis ſubruitis atque euertitis? Sed vt plus auctoritatis habeat hæc obiurgatio; patriam communem omnium noſtrum parentem reliqua cum ſuperioribus contexentem, & de iis quos ſuſcepit, atque aluit, conquerentem,

tem, cauſáſque tantarum diſcordiarum ab iis requirentem inducamus. Fingite igitur eam ita nobiſcum loqui. Quæ vos amentia, quíſve furor ad hoc bellum, ſeu latrocinium potius præcipites agit? De religione vos contendere dicitis. Audio. alij veſtrum queruntur religionem antiquam, ſinceram, ac germanam Chriſtianam à Pontificibus, & iis qui ſacris præſunt, eſſe corruptam ac deprauatam, ceremoniáſque cum Euangelio pugnanteis in eccleſiam Chriſtianorum eſſe introductas. Iccirco profitentur ſe ritus alios quàm maximè cum Euangelio conſentaneos, veteribus reiectis ac ſublatis, ſubſtituere, totámque religionis rationem ad caput atque ad fontem reuocare velle. Alij contrà dicunt ſe religionem à ſuis maioribus vſurpatam, ſibíque ab illis per manus traditam tueri, ac retinere decreuiſſe, neque ſibi fas eſſe putare, repudiata illa atque improbata, aliam recipere, atque approbare. quòd ſi quid ſit in religione antiqua, atque auita eorum qui ſacra tractant, culpa deprauatum, id pontificum, & antiſtitum, & theologorum concilio rite conuocato, non armis & caſtris, & poſſe corrigi & debere. Hæc veſtra controuerſia eſt. eſto. Iccircóne vos conuenit arma capere, agros incendere, vrbeis alios veſtrûm impoſitis præſidiis occupare, alios tormentis admotis verberare, diruere, atque euertere? vtroſque nationes exteras concitare atque euocare? me parentem veſtram flamma & ferro vaſtare? cœlum terræ miſcere? omnia diuina, atque humana iura violare? Nam ſi alij veſtrum pontifices & ſacrorum antiſtites omneis, propter eorum ambitionem non ferendam, auaritiam inexplebilem, incontinentiam & libidinem effrenatam ſibi iniquos eiu-

rant:

rant: alij pontificibus & ſacerdotibus quiduis permitti atque indulgeri oportere, aut certe eos ſub hominum nouas res quærentium leges & iura cadere indignum eſſe exiſtimant, quanto ſatius eſt vtroſque de controuerſiis veſtris ad Regem veſtrum referre, eiúſque maieſtatem atque auctoritatem, etiam ſi puer ſit, extimeſcere, quàm rem, ad vim, ad manus, atque ad arma reuocare? Non enim quòd puer eſt, eo minus Rex veſter eſt: immò quanto ea ætas tenerior, & imbecillior, & magis per ſe inops conſilij eſt, tanto magis eum colere, & reuereri debetis, vos interea mutua amicitia, concordíque caritate inter vos complectentes, veſtrarúmque controuerſiarum diiudicationem ad id temporis cum ſui iuris factus ad ſuam tutelam venerit, reſeruantes. Sed vereor ne alia de re, quàm de religione inter vos diſsideatis, priuatíſque odiis incenſi, arma ceperitis. Quòd ſi ita eſt, cur non ipſi veſtras inimicitias inter vos geritis? cur ocioſos & quietos veſtris diſcordiis implicatis? cur mihi non temperatis? cur me parentem veſtram iugulare conamini? cur exteras nationes ex diſiunctiſsimis terrarum partibus arceſsitis? cur non potius, quod magnanimorum, & mei, Regíſque amantium virorum eſt, veſtras inimicitias Regi Karolo, pro veſtra in Regem veſtrum obſeruantia condonatis? Cuius ſi vos non mouet maieſtas, qui rex veſter eſt, at moueat patris, & aui memoria: ſi neutrum vos ab amentia reuocat, at reuocet, ea quæ in eo eſt heroïcarum virtutum indoles: ſi ne hæc quidem quicquam apud vos valet, at ſalus veſtra valeat, quàm voſmet proditis atque aſſligitis. Hac ſi oratione apud vos patria vtatur, quid reſpondeatis? Num eàm immeritò de

vobis queri, aut iniquum à vobis poſtulare dicere poßitis? non opinor. Concordia igitur ò Galli (iam enim nulla introducta perſona vobiſcum loquor) concordia (inquam) armis conditione poſitis potius, quàm aut victoria extortis, aut defatigatione abiectis, conſtituenda, & confirmanda eſt, ſi Regnum Galliæ incolume manere volumus. Nam quod aliud malorum noſtrorum remedium, aut quæ reliqua ſalutis ſpes eſt? Ad quem confugiemus? Ad Regem? puer eſt. cuius nunc regnum, ab iis qui tueri debebant, diripitur, expilatur, dilaceratur: ideóque ipſe veſtram fidem deſiderat, atque implorat. Ad principes, populíque primores? At hi (pace mihi eorum dicere liceat) ſeſe populo diſcordiarum, & belli domeſtici duces præbent. Ad Reginam matrem? Fæmina eſt, prudentißima quidem illa, & cordatißima fæmina: ſed tamen noſtros principes reconciliare in gratiam, & reducere in concordiam ſæpe conata, nihil profecit. Ad populum? Non eſt conſilium, non mens, non ratio in vulgo. Ad magiſtratus & priuatarum litium iudices? At hi ſe iam moderari Rempub. & populum concitatum continere, & ius dicere negant poſſe. Ad exteros? At eorum alij nobis inſidiantur, noſtris bonis imminent, noſtris ſpoliis ſe auctiores atque ornatiores domum ſperant eſſe reuerſuros: alij noſtris incommodis ac miſeriis delectantur, noſtras calamitates inſectantur, nobis ſuperbè & inſolenter inſultant, portus noſtros munitißimos occuparunt. Ad Turcum? Dij prohibeant. Reſtat igitur vt Deum optimum maximũ appellemus, atque imploremus: qui quamuis nobis iratus ſit, neque dubium ſit, quin hæ calamitates ab illius offenſo in nos animo nobis importentur,

præſer-

præſertim cum videamus nos non modò hoc luctuoſiſſimo, & calamitoſiſſimo bello conflictari, verùm etiam ſæuiſſima & funeſtiſſima peſtilentia, & ſumma annonæ, reíque frumentariæ caritate ſine alia manifeſta cauſa acertime vrgeri, nihilominus tamen aſſiduè nobis venerandus atque orandus eſt, vt lenem ſe erga nos, placabilémque præbeat: neque ex magnitudine & grauitate peccatorum noſtrorum in nos animaduertat, ſed potius pro infinitate bonitatis & clementiæ ſuæ nobis ignoſcat: neque hoc florentiſſimum quondam ac potentiſſimum regnum bello inteſtino funditus extingui, atque interire ſinat, ſed diſcordiis noſtris ſedatis in antiquum ſtatum, locúmque reſtituat. Hęc igitur tot, tantáque mala publica, auditores, nos, quo minus noſtrum munus, ſi non tempore à maioribus con ſtituto, at non multo pòſt obiremus, veſtríſque ſtudiis conſuleremus, non deterruerunt. Addite iam ſua cuiuſque incommoda: quæ vnumquemque noſtrũ proximè attingunt, & magnopere commouent, atque conturbant. Ac meorum quidem collegarum caſus aduerſos, ſi qui fuerunt, vt profectò fuerunt, neque ſcrutor, neque exquiro, neque ſcio, neque, ſi ſciam, hoc loco proferre velim. Meos verò, ſi fortè neſcitis, auditores, ne vos quidem celabo, vt liquidius iudicare poſſitis, me non modò publica calamitate, ſed ne priuata quidem mea, eáque grauiſſima plaga à meo officio eſſe abductum. Meminiſtis, auditores, me, cum abſoluta, proxima æſtate primi libri Rhetoricorum Ariſtotelis explicatione conſtituiſſem tùm animi remittẽdi gratia, tùm vt à morbi teterrimi magis ac magis in dies ingraueſcẽtis contagione longius abeſſem, ruſticari, mutato poſteà par-

tim rebus meis neceſſariis coactum, partim à quibuſdam adoleſcentibus, qui tum me audiebant, rogatum, conſilio Heſiodi poëma opera & dies, vobis explicaſſe: quo officio libenter & liberaliter vobis perſoluto, cum etiam tunc tardior eſſem in vrbe relinquenda, cælóque mutando, grauiſſimus me caſus perculit, ac propemodum afflixit. quem dum ego vobis narro, quæſo diligenter attendite. Puerum domi habebam fratris filium annos circiter quatuordecim natum, liberaliter educatum, optimo ingenio præditum, ad litteras natura factum, iíſque nominibus mihi cariſſimum: quem vos cum me huc venientem aſſectaretur ac proſequeretur, perſæpe vidiſtis. Annum iam integrum, & eo amplius, mecum fuerat commoratus. Nam paucis poſtquàm in doctorum Regiorum numerũ aſcriptus ſum, menſibus eum ego Monſtrolio patria mea, quod oppidum eſt in Ambianorum & Morinorum finibus ſitum, Lutetiam euocaram. Erudiebatur ille in gymnaſio Pleſſæo ab homine diligente, & non indocto. Ego quoque non ſolum cum mihi per occupationes meas licebat, eum docebam, ſed tantopere me illius pueri ingenium delectabat, tam valde me communio ſanguinis, & neceſſitudinis ratio commouebat, vt interdũ ex occupationibus meis aliquantum temporis decerperem, ac detraherem, quod in eo inſtituendo conſumerem. neque verò inanem operam ſumſeram. Eos enim iam progreſſus in litteris Latinis fecerat, vt quodcunque argumentum ei Gallicum in ſermonem Latinum conuertendum proponerem, tractaret ille Latino ſermone atque amplificaret, neque laborioſe, neque inuita, vt aiunt, Minerua. Deerat ei quidem

dem verborum ornatus, & illa orationis vbertas, quæ ex rerum cognitione effloreſcit: ſed erat tamen emendata, incorrupta, ſana, pura, nitida oratio. Aliquot Terentij comœdias: complures M. Tullij epiſtolas: grauiores, & ornatiores, & concinniores ex eiuſdem orationibus & libris philoſophicis locos: non paucas Qu. Horatij Flacci odas & epiſtolas memoriæ mandauerat. Muſicam hanc noſtram vulgatam & harmonicam, quæ notis conſtat, in primis callebat. Ne litterarum quidem Græcarũ rudis erat. Præcepta quidem omnia grammaticorum Græcorum memoria tenebat: aliquot Luciani dialogos, Iſocratis oratiunculas præcepta vitæ continenteis, Phocylidem edidicerat. Interpretantem me tertium Iliadis librum, & Heſiodi opera & dies audierat. Omnia interea non ſolùm quæ dictaram, verùm etiam quæ curſim & properè dixeram, emendatiſsimè, fideliſsiméque exceperat. Quid multa? Spes erat puerum illum, ſi ei vita ſuppeteret, omni doctrinæ genere clarum ac præſtantem fore. Sed & illi longiorem ætatem fata, & eius patentibus procreationis atque educationis mercedem, & mihi eam quam animo iam & cogitatione præceperam, lætitiam, meorúmque laborum fructum inuiderunt. Illum enim peſtis importuna atque improba poſtridie Calend. Octobreis extinctum, oppreſsúmque nobis eripuit. Atque vt maiore hunc acerbiſſimum caſum miſeratione dignum iudicetis, quo tempore illum peſte affectum eſſe cognoui, nox erat ferè intempeſta. cubiculum autem in quo cubabat, vno duntaxat pariete communi à mea bibliotheca, in qua ſomnum capere ſoleo, diuiditur. Nam ancilla anus in inferiore culina quieſcebat.

ſcebat. Incipit gemere & plorare puer. Excitor è ſomno, pauidúſque quid ploret, rogo. Reſpondet ille tremula, lamentabili, ad miſerabilem ſonum inflexa atque itentidem interrupta voce, ſe intolerabili capitis dolore diſcruciari. addit & brachium dextrum ſibi grauiſſimè dolere, & ſub eiuſdem brachij ala tumorem duriſſimũ ſentiri, ac prominere. Obſecro vos, auditores, quid mihi tum animi fuiſſe exiſtimatis? Vos quid in ſimili caſu (à quo vos Deus immortalis intactos, integróſque conſeruet) faceretis, ipſi vobiſcum taciti conſiderate. Cum eum prima luce in locum quendam ſuburbanum, ſatis amœnum domo mea tranſferendum curaſſem, mulieribúſque ſedulis, & ſpectatæ fidei, & omnium huius teterrimi morbi remediorum vſu peritiſsimis certa in ſingulos dies pecunia promiſſa commendaſſem: chirurgos etiam mercede pacta conduxiſſem, qui eum quotidie ſemel atque iterum inuiſerent, eum curarent, eíque mederentur, quarto pòſt quàm ex ædibus meis demigrauit, die exceſſit è vita. Cuius mihi morte nunciata, auditores, exanimatus ſum. Multæ me curæ vno tempore ſollicitabant: multa me mala ſimul circumuallabant: pueri mihi coniunctiſſimi, mihíque cariſſimi mors acerbiſſima: omnis in poſterũ delectationis ac iucunditatis deſperatio amariſſima: vulnus ex tali caſu animo inflictum crudeliſſimũ: ab eodem morbo, quo ille conſumtus erat, periculum ex contagione præſentiſſimum: huius tanti periculi vitandi via incertiſſima: omnium meorum vitæ conſiliorum ratio conturbatiſſima. quantam me vim lacrymarum profudiſſe: quanto animi mærore conſenuiſſe: quàm ſæpe, quàm dolenter, quàm miſerabiliter fleuiſſe

exiſtimatis? Non enim ea eſt in me ſapientia, ſeu durities potius, aut immanitas, auditores, quam ſibi nonnulli aſciſcũt, vt omneis fortunæ iniurias, omneis calamitatis ictus, omnes caſus humanos, etiam cariſsimorum capitum morteis moderatè & ſedatè ferant. Ne iis quidem aſſentior, qui propinquos mortuos lugendos eſſe negant. Egóne ita inhumanus, ita durus, ac ferreus eſſem, vt puerum tali ingenio, ea ſpe, eáque indole virtutis præditum, ſumma mecum neceſſitudine coniunctum: quem ego filium mihi adoptaueram: quem ego, proinde ac ſi ex me natus eſſet, diligebam: qui me vt parentem colebat: in quo nitebar: in quo meæ ingraueſcentis ætatis, & ſenſim obrepentis ſenectutis requiem collocaram: qua oblectabar ſpecula: eum ego non lugerem? eum ego mortuum æquo & tranquillo animo ferrem? Ego vero tum me non hominem eſſe, ſed feram: non ex animo, & corpore molli & tenero conſtare, ſed ex robore dolatum, aut ex adamante conflatum eſſe iudicarem. Itaque ego illum & ſæpe luxi, & ſæpe lugebo: nec verebor ne ſi mortuo debitas lacrymas perſoluam, mihi imbecilli aut humilis animi nota inuratur potiùs, quàm laus humanitatis, officiíque tribuatur. Scio enim & ſapientiſsimos viros ſe poſt mortem lugeri voluiſſe, & Homerum grauiſsimum & locupletiſsimum auctorem luctum & lacrymas honorem, decúſque mortuorum appellaſſe. Cum igitur in ſquallore & luctu dies, noctéſque verſarer: quo confectus eſſem, niſi mihi amici, in his Adrianus Turnebus, Io. Quinquarboreus mei collegæ, oratione ſua animi ægritudinem leuaſſent, niſíque nunc domum meam ventitando, nunc me in ædeis ſuas inuitando

iacentem atque afflictum excitaſſent: & cum periculum eſſet ne quid mihi, ſi diutius ita affectus viuerem, grauius accideret, ſuaſerunt illi vt locum, cælúmque mutarem, ſi forte ea loci mutatione parumper à tam triſti meorum incommodorum cogitatione animum reuocare, periculúmque, quod mihi impendebat, effugere poſſem. Facilè id mihi perſuaſerunt, quod iam anteà mea ſponte facere cogitaram. Itaque profectus in Galliam Belgicam vſque ad Morinorum fineis perrexi, in eáque peregrinatione patri ipſi (ô rem auditu aſperam, atque acerbam) patri (inquam) ipſi, fratri meo mortis filij ſui nuncius fui. Dies quattuor & viginti afui: quinto & viceſimo die mei erga vos officij ab ipſo tempore admonitus Lutetiam reuerti, vt qualiacunque eſſent Reip. tempora, quamuis grauiſſimus atque acerbiſſimus ille animi mei dolor nondū ſatis mitigatus eſſet, veſtris tamen ſtudiis inſeruirem. Cùm hæc mea domeſtica mala ſcire vos volui, auditores, tùm illa ſuperiora de Repub. conqueſtus ſum, ac deploraui, partim vt ego (quemadmodum dixi anteà) meum dolorem communicando, & quaſi partiendo vobiſcum, facerem leuiorem, partim vt vos meam collegarúmque meorum promtiſſimam, maximéque propenſam erga ſtudia veſtra voluntatem magis ac magis perſpectam, & cognitam haberetis, qui neque calamitatibus publicis, neque incommodis domeſticis impediti ſimus, quo minus officium noſtrum maturè pro malis temporū vobis præſtaremus. Nunc ad Demoſthenem venio, cuius me orationes Philippicas primi libri Ariſtotelis de arte dicendi explicatione abſoluta, vobis explanaturum pollicitus eram. Ab Olynthiacis autem

tem

tem ordiar, ordinem vulgatum, morémque vſitatum ſecutus. Nam cum Demoſthenis conciones vel in Philippum, vel de rebus ad Philippum pertinentibus, ſint vndecim, tres Olynthiacæ, eæ quattuor orationes, quæ ſolæ vulgò Philippicæ inſcribuntur, oratio de pace cum Philippo facta retinenda, atque obſeruanda, oratio de Haloneſo, oratio de rebus Cherroneſi, oratiuncula ad epiſtolam Philippi: hæ orationes ex ſententia Dionyſij Halicarnaſſei, Hermogenis, & aliorum ſimilium rhetorum, hoc ordine debent legi. Primum locum Philippicarum debet obtinere ea quæ etiam vulgò prima Philippica nominatur, ſecundo loco ſequi ſecunda Olynthiaca, tertio tertia, quarto prima: quinta Philippica eſt oratio de pace, ſexta quæ vulgò habetur ſecunda: ſeptima, oratio de Haloneſo: octaua de rebus Cherroneſi: nona, quæ vulgò tertia appellatur: decima, quæ vulgò quarta: vndecima & vltima, oratiuncula ad epiſtolam Philippi, cuius initium eſt ὅτι μὲν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, *& cet. Hæ igitur orationes tres tametſi Olynthiacæ inſcriptæ ſint, ſunt tamen & Philippicæ, nempe Philippica ſecunda, tertia, quarta. ab Olyntho autem vrbe Thraciæ à Chalcidenſibus, qui erant in Eubœa, condita, ſunt nominatæ, quia his orationibus populo Athenienſi ſuadet Demoſthenes, vt Olynthiis, qui oppugnabantur à Philippo, auxilium ferat. Genus cauſæ eſt* δημηγορικὸν *id eſt, concionale: ſeu* συμβουλευτικὸν, *id eſt, deliberatiuum. Conſultat enim populus Athenienſis vtrùm Olynthiis, qui quòd Athenas legatos de pace miſerant, cum antea ex fœdere cum Philippo percuſſo, Athenienſibus hoſtes eſſent, graui, & periculoſo bello à Philippo preme-*

 bantur,

bantur, opitulari debeat, néc ne. In his orationibus cùm de bello, pacéque quæritur: atque hæc quæſtio ad caput vtilitatis pertinet: tùm de ratione pecuniæ cogendæ ineunda conſultatur: quæ ad facultatem ſpectat. Meminerunt autem qui me primum librum Ariſtotelis de arte dicendi explicantem audierũt, quinque ab illo philoſopho enumerari, de quibus potiſsimùm, qui publicè quippiam ſuadent, aut diſſuadent, verba facere ſolent, de pecuniæ quærendæ & cogendæ ratione: de bello & pace: de tutandis regionis & imperij finibus: de rebus quæ vel exportandæ, vel ſupportandæ ſunt: de legibus ferendis. Iam verò cum in his orationibus tria obſtẽt Demoſtheni: vnum, bellum non eſſe proprium, ſed alienum, id eſt non Athenienſium, ſed Olynthiorum cauſa ſuſcipi: alterũ pecuniam, ſine qua bellum geri non poteſt, Athenienſibus deeſſe: tertium Philippi potentia: primum illud tollit ac remouet, oſtendítque hoc bellum, Athenienſium magis, quàm Olynthiorum cauſa apparari: ídque duobus argumentis probat, quorum primum ducitur ex eo, quod generoſiſsimo cuique ſiue viro ſingulari, ſiue populo inſitum eſt natura, nempe aliis præeſſe atque imperare. Cum enim ſciat Athenienſeis principatum Græciæ vehementer appetere, eóque magis, quòd eum olim obtinuerint, poſteà vel ſua culpa, vel fortunæ iniuria amiſerint: docet antiquam belli gloriam, Græciæque principatum facilè recuperaturos, ſi belli ſocietatem cum Olynthiis coëant: alterum argumentum eſt à neceſſario: quo grauem Athenienſibus terrorem iniicit. Denunciat enim fore vt Philippus vltro ipſorum tectis & mœnibus bellum inferat, Atticámque populetur & peruaſtet, niſi

Olyn-

Olynthiorum ſaluti conſulatur. Secundum quod ei aduerſatur de pecuniæ inopia, tractat per contrarium. Oſtendit enim ſatis magnam vim pecuniæ eis ſuppetere, ſi Eubuli legem velint abrogare. Atque vt facilius adducantur ad hanc legem abrogandam, ait non ſolùm locupleteis & pecunioſos, verùm etiam pauperes, ac tenueis, niſi Eubuli lex antiquetur, tributum conferre neceſſe habituros. Conſtituebat porrò lex Eubuli pœnam capitis ei, qui ſuadere conaretur, vt ea pecunia, quam ciues Athenienſes de publico acceptam in locis vnde ludos ſpectarent, coëmendis conſumebant, quæ θεαξικὴ, id eſt, theatralis dicebatur, fieret militaris, id eſt, in ſtipendium ciuibus pro patria militantibus verteretur. Tertium miro artificio diluit ac refellit. Nam cum Philippum eſſe potẽtem negare non poſsit, diſſecta in minutas parteis tota eius potẽtia, illum infirmum, & imbecillum verbis facit, oſtendens, eorum qui ſub eius imperio ſunt, alios eſſe ſtolidos atque hebetes, aliorum animos eſſe ab eo alienos, alios non magno ei eſſe adiumento. Duo autem ſunt præcipua huius orationis capita, ſeu firmamenta, vtilitas & facultas. Caput vtilitatis in eo tractatur, vbi docet neque alienum eſſe bellum, neque de re parua aut leui. Nam opinione quidem de Thracia bellum fore, revera de Attica: quem locum partim à cõtrariis tractat, cum ob oculos proponit, quàm flagitioſum ac turpe futurum ſit, ſi bello Olynthiaco neglecto, & Olynthiis deſertis ac proditis, de ſuis agris ac poſſeſſionibus, de coniugibus ac liberis, de rebus denique cariſsimis dimicare cogantur, partim ab illa, qua Athenienſes aduerſus Philippum afficiuntur, æmulatione: quàm fœdum ac pudendum iis ſit

futurum, Philippum quidem hominem vno verbo Macedonem ſtudio, aſsiduitate, induſtria, & laboris patientia, res omneis benè ac feliciter gerere: Athenienſeis verò quibus plurima ſint rerum benè gerendarum adiumenta, quibus Græcorum principatus iure quaſi hereditario debeatur, qui denique habeāt Deos immortaleis fautores atque adiutores, negligentia, atque animi ſocordia nihil neque ſe, neque ſuis maioribus dignū audere, ſed omnem antiquam gloriam per ſummam turpitudinem, atque ignominiam amittere. facultas vtrinque tractatur, tùm ab Athenienſibus, tùm à Philippo. Athenienſium potentiā verbis extollit, amplificat, atque exaggerat: Philippi verò opes & copias deprimit, minuit, atque extenuat. ſed de his hactenus. Nunc ad Olynthiacarum orationum argumentum veniamus.

FINIS.